

sam esse, quia in Cygnis purissimus, in Sirenibus vero impurus sanguis ad cor fluit. Rectius tamen hoc de justis, et injustis dicitur, ex quibus hi merito gement in morte, ob impura opera ad cor, et memoriam, fluentia; illi autem propter conscientiam recte factorum merito gaudebunt, et canent.

AXIOMATA.

Mors servat legem, tollit cum paupere Regem.

Ad lectum, ad lethum, dicebat Lipsius, dum morbo correptus decumbere cœpit.

Qualis vita, finis ita.

Qualis mors, talis sors.

AUCTORES.

Jeremias Drex., in *Prodomo æternitatis*.
Gabriel Inchiuus, de *Quatuor novissimis* part. I.

Dionysius Carthusianus, de *Quatuor novissimis*, a c. n usque ad xvi.

Petrus Canisius, t. IV, de *Noviss.*

Joannes Busæus, in t. de *Statibus hominum*, p. II, de *Statu morientium*.

P. Mathias Faber, in *Concionibus funebribus*, et in conc. 3, de *Quatuor Domini Adventus*.

Ludovicus Granatensis, in *Locis comm.*, fol. 803.

Philippus D'Outremam, in *Pædagogio Christiano*, p. I, c. viii, § 4.

Henricus Engelgr., *Embl.*, III, p. II.

Joannes Major, in *Speculo Magno Exemplorum*, V. eodem.

Josephus Langius, in *Polyantha*, V. eodem.

Antonius Daurollius, in *Catechismo historiali*, c. viii, a tit. I usque ad XIV.

Thomas Stapletonus, t. VII, in *Dom. 7*, et t. III, *Dom. 1*, et t. II, in *Dom. 23* et *24 post Pent.*

Laurentius Beirlynch, in *Theatro vite humane*, V. eodem, et in *Promptuario Evang.*, t. III, in *festo S. Joan. Evang.*

MORTIFICATIO.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est spontanea, liberaque animæ a vita carnali separatio, et virium tam externarum, quam internarum ab illicitis operibus dissolutio, ut Jacobus Alvarez eam definit. Exprimitur in S. Scriptura variis nominibus. 1. Et principaliter *Mortificatio* vocatur juxta illud S. Pauli: Semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. II COR., IV, 10. Vocatur autem *Mortificatio* potius, quam mors, qui non tam in ipsa sejunctione animæ a vita carnali, quam in luctu et conatu ad illam consequendam est posita: unde mors spiritualis est potius effectus mortificationis. 2. Vocatur *Abnegatio*, juxta illud Christi: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me. MATT., XVI, 24. 3. *Renunciatio*, juxta illud ejusdem Christi: Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. LUC., XIV, 33. 4. *Circumcisio*, juxta illud S. Pauli: Circumcisi estis Circumcisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, sed in Circumcisione Christi. COLOSS., II, 11. 5. *Jejunium*, juxta illud Isaia: Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi? dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. IS., LVIII, 6. 6. *Odiû sui*, juxta illud Christi: Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit illam. JO., XII, 25. 7. *Violentia*, juxta illud Salvatoris: Regnum colorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. MATT., XI, 8. *Crux*, juxta illud ejusdem Christi: « Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. » MATT., X, 38. 9. Denique etiam *Mors*, juxta illud S. Pauli: « Mortui enim estis: et vita vestra abscondita est cum Christo. » COLOSS., III, 3. Sumendo scilicet effectum pro ipsa causa, quo sensu Nierembergii dixit: « Quid est mortificatio, nisi mors anticipata? mors hominis vivi, mors ante mortem, mors spontanea, mors voluntatis, mors diffi-

cilior: » cui potiori jure conveniunt proprietates morti corporali a Seneca assignate, dum ait: Mors est naturæ lex, tribulum officinæ mortalium, malorumque omnium remedium, ut fusius, Alvarez, et Nierembergii ostendunt. EUS. NIEREMB., I, III, *Doct. asc.*, c. XXVII, *dis. III.*

DIVISIO. — Dividitur 1. in *Corporalem*, et *Spiritualem*: illa corpis exercet, et nomen penitentia; exterioris sortitur, cujusmodi sunt cilicia, disciplina; durus lectus, vilis cibus, asper corporis habitus, et similia, quæ suis carnem oblectamentis privant: ista in mortificatione passionum, propriæque amoris inordinati abdicacione consistit, et nomen interioris mortificationis accipit. S. AUG., s. XX, de *Ss.*

Dividitur 2. in *Activam*, et *Passivam*: illa est, per quam ipsi voluntarie eligimus aut acceptamus occasiones aliquid amoris nostro proprio contrarium patiendi: ista est, per quam occasiones mortificationis ab obedientia, vel a proximo, aut alia quacumque via nobis obvientes amplectimur. ROBR., p. II, tr. I, c. VII.

Dividitur 3. in *Necessariam*, et *Liberam*: illa est, per quam appetitum nostrum ab illicitis desideris, et actionibus cohibemus, et propterea absolute necessaria est ad salutem: ita est, per quam a licitis voluptatibus aut operibus abstinemus, atque adeo iis, qui ad perfectionem tendere cupiunt, specialiter convenit. IS., c. XIII.

ACRUS. — Sensus suos, et potentias externas, puta oculos, aures, gustum, et odoratum, tactum non modo ab illicita operatione, et delectatione cohibere, sed ultra etiam objecta illis adversantia, et ingrata amplecti.

Linguam ab omni noxia inutili, aut frequenti locutione coercere.

Memoriam a vanis, importunis, et illicitis cogitationibus, aut phantasiis avertere.

Intellectum a rebus inutilibus, aut a noxiis addicendis, aut discutiendis cohibere, atque judicium suum aliis submitendum adigere.

Voluntatem ab omni amore proprio inordinato coercere, eamdemque Deo et hominibus, quandoquomque honeste fieri potest conformare.

Passiones animi, amorem præcipue, et odium, gaudium, et timorem, et iram, ne extra rationis, et voluntatis divinæ semi-

tam evagentur et abripiant, studiose refrænare.

GRADUS. — Primus est, ut *peregrini* more, habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus, omnia alia velut impedienda rejiciamus, aliorumque facta et dicta surda aures prætereuntes; recto itinere ad Patriam tendamus, juxta illud Apostoli: Charissimi, obsecro vos, tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. S. BERN., s. VII *Quad. ROBR.* p. II, tr. I, c. ult. I *Petr.*, II, 1.

Secundus est, ut velut *mortui* nihil aut sentiamus aut agamus, nisi quod ad Dei gloriam, Christi imitationem, nostramque et proximi salutem conducit; hoc enim est, quod Apostolus Colossensis dixit: Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. COLOSS., III, 3. Hoc idem suavit Bernardus, dum dixit: Nemo ergo deinceps sibi vivat, sed ei, qui pro semortuus est. Cui enim justius vivam, quam ei, qui, si non moretur, ego non viverem? S. BERN., s. de *Dilig. Deo.*

Tertius est, ut non simpliciter mortui, sed cum Christi *cruci confixi* simus, atque adeo jure cum S. Paulo dicere possimus: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. GAL., VI, 24. Quem quidem gradum merito S. Bernardus tertium cœlum ob summam perfectionem indigat.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidiè, et sequatur me. LUC., IX, 23.

Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. II COR., IV, 10.

Circumcidite igitur præputium cordis vestri, et cervicem vestram ne indretis amplius. DEUT., X, 16.

Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitis, et concupiscentiis suis. GAL., V, 24.

Subter te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius. GEN., IV, 7.

Propter te mortificamur tota die: astimati sumus velut oves occisionis. PSAL. XLIII, 22.

Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destratur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato. ROM. VI, 6.

Fac tibi cultros lapideos, et circumcede secundo filios Israel. JOS. V, 2.

NECESSITAS. — Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere, si enim præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis suis. ECL. XVIII, 30.

Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum, et in servitutum redigo, ne forte, dum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar. I COR., IX, 27.

A diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vni patitur, et violenti rapiunt illud. MATT. XI, 12.

Qui delicate a pueritia nutrit servum, postea sentiet eum contumacem. PROV. XXIX, 21.

UTILITAS. — Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. JO., XII, 24.

Spiritu ambulat, et desideria carnis non perficietis. GAL., V, 16.

Sic loquimini ad David: non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philistinorum, ut fiat ultio de inimicis Regis. I REG., XVII, 25.

Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. JO., XII, 25.

Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdidit animam suam propter me, inveniet eam. MATT. XXVI, 25.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris? CANT. II, 6.

Quem enim docebit sapientiam; et quem intelligere faciet auditum; et ablatos a lacte, avulsos ab uberibus, IS., XXVIII, 9.

Qui expectant mortem, et non venit, quasi effodientes thesaurum. JOB., III, 21.

DIGNITAS. — Fidelis sermo; nam si comortui sumus, et convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus. II TIM., II, 11.

Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. PROV., XVI, 32.

Qui autem sunt Christi, carnem suam

crucifixerunt cum concupiscentiis suis. GAL. V, 24.

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quam mihi mundus crucifixus et ego mundo. GAL., VI, 14.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Docendus est homo sic habere corpus suum, sicut ægrotum, cui etiam multum volenti inutilia sunt neganda, utilia vero etiam nolenti ingerenda. S. BERN., *Epist. ad FF. de Monte Dei*.

Bellum militum breve, sed Monachi pugna, quoad usque migret ad Dominum, durat. S. EPHR., *Ezchor. ad pietat.*

Servorum Dei proprium est, non solum carnales sensus per disciplinam restringere, sed etiam per mortificationem extinguere. RICHARD, *super Gen.*

Monachus est perpetua naturæ violentia, sensuumque vigilantissima, et infessissima custodia. S. CLM., grad. 1.

Noli extrinsecus pecus, quod mactes, inquire; habes in te, quod occidas. Macta elatum superbiæ Taurum: macta gibbosum avaritiæ Camelum: jugula olentem luxuriæ Hircum: sacrificia saginatum gula Vitulum: obrunca mordacem invidiæ Molossum: dilacera pugnacem iracundiæ Arctem: concrema ignavum pigritiæ Asellum: has pecudes occide, et rite litasti Deo. CONNELL DE LAP., in c. XII. *Epist. ad Rom.*

Cultellus hic, quo Puer Jesus circumcisus est, habendus est super femur delectationum, et voluptatum contra timores nocturnos: Sponsus enim iste Sponsus sanguinum est. RICHL. DE S. VICT.

Sic amet anima carnem, ut non ipsa in carnem transisse putetur, dicaturque ei in Domino: Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est. Amet Adam Evam suam, sed non sic amet, ut voci ejus plus obediatur, quam Divinæ. S. BERN., s. XIX, in *Psalms*.

Servi Christi laborant, ut neque opera victorum faciant, neque concupiscentiis carnalibus vel in corde consentiant. Et reprimendo carnis voluptates, crucem sibi ipsis faciunt, ac præceptis justitiæ, quasi quibusdam clavis se configunt, ut pravam ac-

tionem, et perversam voluntatem in seipsis refrænent. S. ANSEL., in II *Cor.* VI, 14.

Quid differt, crucifigere sibi ipsi mundum; et crucifigi mundo? Mundus homini crucifigitur, cum mundo abrenuntiat homo, et exinde solitarius fit, relictis parentibus, possessionibus, agris, negotiationibus, rerum copia. Crucifigitur enim illi mundus, quia deserit eum. Quo pacto crucifigitur homo mundo? cum scilicet, ubi ex mundi rebus excesserit, certat adversus rerum concupiscentias, adversus voluptates, adversus propriam voluntatem, subigitque innatas passionem, et vitia. S. DOROT., *Doct.* 1.

In Templo a Salomone adificato legimus, duo altaria fuisse constituta, unum foris, alterum intus. In illo, quod foris erat, animalium cædebatur Sacrificium; in illo vero altari, quod intus erat, thymiamatis offerrebatur incensum. Videamus ergo, Fratres, ne forte in nobis duo altaria non sint constituta, corporis scilicet et cordis nostri. Denique duplex a nobis Sacrificium quærit Deus; unum ut simus casto corpore; aliud, ut mundo corde esse debeamus. Ergo in exteriore altari, id est, in corpore nostro offerantur opera bona; in corde odorem suavitatis redoleat cogitatio sancta. S. AUG., fol. 255 de *Temp.*

Corpus offertur in Sacrificium per macerationem, spiritus in holocaustum per contributionem. De sacrificio portio erat ipsius offerentis, quia corpus non debet omnino per macerationem annihilari, sed ei debent necessaria dari. De holocausto nihil retinebatur, sed totum offerebatur, et sic totum cor, et spiritus. HUGO CARD., ap. MANSI, d. VII, n. 4.

Omni cautione, atque solertia, jugis circumspecti cordis servetur intentio, ne quo modo judicio nostræ discretionis errante, aut inconsideratæ continentiæ cupiditatis succensu, aut desiderio nimie remissionis illecti, substantiam virum nostrarum inique trutinæ examinatione libremus. Sed in altera quidem lance animæ puritatem, in altera vires corporis collocantes, ita vero conscientia judicio utraque pendamus, ut in neutram partem, unius rei affectu præponderante, perversi, vel ad immodicam distractionem, vel ad nimiam remissionem, æqualitatis libram propensius inclinemus, et illud dicatur nobis: Nonne si recte offeras, recte autem non divides, peccasti. CLASS., *Col.* XXVI, c. XXII.

NECESSITAS. — Non potest virtus cum vitiis pariter crescere, inquit S. Bernardus: ergo ut illa vigeat, ista crescere non sinantur. Tolle superflua, et salubria surgant, utilitati accedit, quicquid cupiditati demis. Demus operam putationi: putetur cupiditas, ut virtus roboretur. S. BERN., s. LVIII, in *Cant.*

Qui dominari nescit cupiditatibus, is quasi æquus raptatur indomitus, volvitur, obliteratur, laniatur, affligitur. S. AMBR., I, III de *Virg.*

Exurgat Deus, cadat armatus iste, cadat, et conteretur inimicus homo, contemptor Dei, amator sui, amicus mundi, servus diaboli. Quid tibi videtur? certe si recte sentis, mecum dices: Reus est mortis, crucifigatur.

Qualis est in oculis hominum, qui inversis pedibus ambulare videtur, talis est in oculis Angelorum, qui caro propria dominatur. S. AUG., s. 56, ad *FF. in erem.*

Jussisti, Domine, et sic est, ut poena sua sibi sit omnis animus inordinatus. ID., I, 1, *Conf.*, c. II.

Credite mihi, et putata repullulant, et effugata redeunt, et reaccendantur extincta, sopita denuo excitantur. Parum ergo est, semel putasse; sæpe putandum est: imo si fieri potest, semper, quia semper, quod putari oportet, si non dissimulas, invenies. S. BERN., *Super canon.* 358.

Hoc est opus nostrum in hac vita, actiones carnis spiritu mortificare quotidie, affligere, minuere, frænare, interimere: hæc est actio nostra, hæc militia nostra. S. CLM., c. XIII, de *Verb. Dom.*

Carnales concupiscentiæ naturalem hominis mansuetudinem exterminant. BERN., *Super cantic.*, serm. 37.

Caro semper propositum peccandi habet. CHRYSOST.

Hi frequenter majores tribulationes ex carne suscipiunt, qui carnis voluptatibus delectantur.

Hostes hominis Christiani sunt facta carnis. GREG., X, *Moral.*

Cur carnem tam pretiosus rebus impinguas, et adornas, quam post paucos dies vermes devoraturi sunt in sepulchro, et animam tuam bonis operibus non adornas, quæ Deo et Angelis ejus presentanda est in judicio: cur ergo animam tuam vilipendis et ei carnem præponis? dominam ancillari, et ancillam dominari, magna abusio est.

UTILITAS. — Cervus serpentes necat, et post serpentium interemptionem majori siti inardescit, premissis serpentibus acris ad fontes currit; serpentes vitia tua sunt, consume serpentes iniquitatis, tunc amplius desiderabis fontem veritatis. S. AUG., in *Psalm. cxlii*.

Augmentum charitatis diminutio cupiditatis, perfectio nulla cupiditas. S. AUG.

Mortificatione voluptatum vitia extirpantur, et marcescunt universa: expulsionem vitiorum virtutes fructificant atque succrescunt: pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur, puritate cordis Apostolice charitatis perfectio possidetur. CASSIAN., l. IV, *Inst.*, c. cxliii.

Castiga corpus tuum, et Diabolum vinces; hoc enim modo Paulus adversus illum docuit nos esse pugnandum. S. AUG., in I *Cor.* c. ix.

Hoc est salvationis nostræ principium, cum incipimus respuere, quod diligebamus: dolere, unde gaudebamus: amplecti, quod timebamus: sequi, quod fugiebamus: operari, quod contemnebamus. S. BERN., s. 3 *de Circum.*

Exercitio me plane, ut ille pareat; do de me penas, ut ille subveniat, ut placeam oculis ejus, ut delectem suavitatem ejus: nam et victima exerceriatur, ut in aram imponatur. S. AUG., *de Util. jejun.*

Quis mihi dabit, ut venias in cor meum et inebries illud, ut obliviscar mala mea, et unum bonum meum amplectar te! Noli abscondere faciem tuam. Moriar ne moriar, ut eam videam. S. AUG., l. I, *Conf.*, c. v.

Cum aliquis oppugnatur, aut affligitur ab aliqua vitiosa passione et cogitatione, si ad actum illum perducit, et opere complet, sciat passionem illam validiorem fieri ac robustiorem adversus eum; ipse enim invalescere eam facit contra se, et veluti vires quasdam illi suggerit, ut magis eum oppugnet, et affligat. Rursus vero si ille contra certaverit, ei sese illi cogitationi et passioni vitiosæ opposuerit, debilitatur vitium illud, et cogitatio, atque ad oppugnandum, et affligendum eum deinceps impotens sit, et invalida. Tanti scilicet valet principis obstitisse. Docent Sancti Patres, tractandum esse corpus nostrum, quemadmodum furiosum alique, præcipitemque equum peritum eques tractat, quem arte, et industria sua, facile assuefacit, ut ad imperantis nutum, quocumque ille voluerit, gressum flectat.

Ad eundem modum effræni, impotentique equo corporis nostri frænum perpetuo adducendum, subjiciendaque calcaria sunt: quo pacto quicquid ipsi imperaveris, facile obtinebis, quod compendium si neglexeris, ipse tui paulatim dominari incipiet, tandemque elidet te, excussurumque in mille præcipitia dabit. S. DOROT., s. 15.

DIGNITAS. — Nemo dicat, quod temporibus nostris Martyrum certamina esse non possint: habet enim et pax nostra Martyres suos. Nam sicut frequenter suggestimus, iracundiam mitigare, libidinem fugere, justitiam custodire, avaritiam contemere, superbiam humiliare, pars magna Martyrii est. S. AUG., s. ccl., *de Tem.*

Quod, Martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas et pretiosas algere, paupertate premi inter divitias quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster appetitus? S. BERN., in *Fest. SS.*

Abnegatio ac resignatio propria voluntatis Deo gratissima est. Acceptus obsequium homo præstat Deo, quando a vano, et non necessario visu, auditu, olfactu, gustu vel tactu discrete abstinet, voluntatem suam in hujusmodi rebus pure propter Deum mortificans, quam si mortuos ad vitam temporariam revocaret. BLOS., in *Sacell. anim.*, § 5, n. 1.

Excodente anima, ait S. Bernardus, et non vita, certe vitæ sensu, necesse est etiam ut nec vitæ tentatio sentiatur: quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam? Utinam hac morte ego frequenter cadam, ut evadam laqueos mortis, ut non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta: ut non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum avaritiæ, ad iracundiam et impatientiam stimulos, ad angores sollicitudinum, et molestias curarum. Moriatur anima mea morte justorum, ut nulla illam illaque et fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. S. BERN., s. xxv, in *Can.*

Vir erat in terra Hus, nomine Job. Egrogus sane vir Job; non enim terra carnis ejus, animum ipsius superabat, sed imperantis animi consilio cuncta facebat. S. HIER., in c. 1 *Job*.

Ascendamus etiam post illum per vitia, et passiones nostras. De vitis nostris scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus: atfol-

lent enim ipsa nos, si fuerint infra nos. S. AUG., l. III, *de Ascens.*

Genus Martyrii est, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra ceduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. S. BERN., s. xxx, *sup. Cant.*

Habent quippe Sancti viri hoc proprium, quod semper ad illicitis longe sint, a se plerumque etiam licita abscondant. S. GREG., l. IV, *Dial.*, c. xi.

Quare ratione nostri officii et propositi, non tantum debemus res, sed etiam cupiditatem relinquere, et vincere desideria carnis, sanguinis, et quidquid secundum naturam est, non secundum spiritum et gratiam. Hæc vocatio nostra, hæc professio, et hoc officium, et nihil hac vocatione sublimius, nihil hac professione dignius, nihil hoc officio honoratius, nihil felicius. S. AUG., s. xlii, *de Ver. Dom.*

Soli enim in tranquillo portu, et securitate summa residentes velut ex celo ipso cæterorum naufragia prospectant. Namque conversationem plane celestem elegerunt, nihilque deterius Angelis effecti sunt, et quidem tum propter innocentiam cordisque puritatem, tum propter quandam impossibilitatem, sensuumque et affectuum abstractionem Angelis dici merentur.

Quid de ejus factis ad alios sentiar, nescio. Ego plus David saltantem stupeo, quam pugnantem: pugnando quippe hostiles subdidit saltando autem coram Domino seipsum vicit. S. GREG., in II *Reg.*, c. vi.

Seimus, quia in oculis Dei, majoris meriti est, sæpe mortificari, quam mori. Nonne mors Martyrum tanto erat pretiosior, quanto mortem præcedens pena productior? quibus volentibus mori, non dabatur occidi? Nonne prædestinatis ad vitam, hoc ipsum ad gloriæ cumulum proficit, quod sine acri pugna, sine acerba pena, carnalis in eis vita non deficit? RICH. VICTOR., in *Ps. cxviii*.

Qui in seipso, quantum fieri potest, naturæ divinæ liberrimam affectuum tranquillitatem imitatus fuerit, hic defecatum prius in animo suo Dei imaginem restituit pristino nitore. Unde nulla omnino hic metuenda temeraria fidentia, ubi præclarum in tali anima habitantis Dei fulget vestigium, qui, quod hic fieri cernitur, ipse pro sua benignitate facit. S. BASIL., s. i, *Instit. monast.*

Victoria nostra, gloria nostra intus est, non foris est: foris despecti, intus electi:

quomodo vicit Christus, vincere appetat Christianus.

Sane in hoc creatus es Princeps, ut imperies affectibus, ut dominere bestiis, reptilibus, et præsis simul et volatilibus. Tuis fac imperes cogitationibus, Imperator ut sis, quæ sunt, omnium. Ad hanc doctrinæ formulam collatis nobis principatus per animalia mores nostros concerno ordine moderatur, et dirigit, ut nostri ipsorum discamus esse domini.

JUCUNDITAS. — Nihil unicuique tam expectandum, quam ut animi pace fruatur, affectibusque imperet. S. GREG. NAZ., in *or. de Pace*.

Gustato spiritu, necesse est desipere carnem: affectanti celestia, terrestria non sapiunt: æterni inhiant, fastidiunt transitoria. S. BERN., ep. ii.

Initium quidem mortificationis vel membrorum corporis, vel animæ voluntatis, labor est, medium vero interdum labor, interdum requies: finis autem jam omni motus perturbatione, omnique laboris sensu caret. S. CLM., grad. 4, coll. 1.

Voluptatem vicisse, voluptas est maxima, nec ulla major est victoria, quam ea, quæ a cupiditatibus refertur. Magna sane victoria, et nullo non sanguine ac sudore emenda. S. CYP., apud LYRÆUM, l. II, *Prop. 1*.

Vis, ut intret mel, unde acetum non fudisti funde, quod habes, ut capias, quod non habes. Discere non diligere, ut discas diligere: avertere, ut advertaris: funde ut implearis. S. AUG., hom. xvii.

Quamvis navis Gubernatori concessum non sit tranquillitatem mari pro arbitrio et voluntate imponere, nobis tamen integrum est vitam quietam, omnique vacantem perturbatione constituere, si nimirum internos tumultus, qui ab affectionibus externis proficisci solent, sedaverimus, et mentem iis, quæ extrinsecus accidunt, altiore constituerimus. S. BASIL., or. 21 *de Felicitate*.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

QUALITAS. — Hoc debet esse negotium nostrum, vincere videlicet seipsum, et quotidie se ipso fortorem fieri, atque in melius aliquid proficere.

Habitus, et tonsura modicum conferunt,

sed mutatio morum, et integra mortificatio passionum verum faciunt Religiosum.

NECESSITAS. — Quis te magis impedit, et molestas, quam tua immortificata affectio cordis? quis habet fortius certamen, quam qui nititur vincere se ipsum? Lib. I, c. III, § 3.

Est magnum impedimentum, quia in signis, et sensibilibus rebus statur, et parum de perfecta mortificatione habetur. Lib. III, c. XXXI, § 3.

Fili, non potes perfectam possidere libertatem, nisi totaliter abneget te ipsum. Lib. III, c. XXXII, § 1.

Si vere velis esse spiritualis, oportet te renuntiare tunc remotis, quam propinquis, a nemine magis cavere, quam a te ipso. Lib. III, c. XXXIII, § 3.

Qui libere mecum ambulare desiderat, necesse est, ut omnes pravas, et inordinatas affectiones suas mortificet, atque nulli creaturæ privato amore concupiscenter inhaereat. *Ibid.*

UTILITAS. — Quare quidam Sancti tam contemplativi, et perfecti fuerunt? quia omnino seipsos mortificare ab omnibus desideriis terrenis studuerunt, et ideo totis medullis cordis Deo inhærere, et libere vacare poterunt. Lib. I, c. XI, § 2.

Ibi homo plus proficit, et gratiam meretur ampliorem, ubi magis seipsum vincit, et in spiritu mortificat. Lib. I, c. XXV, § 3.

Quanto caro per afflictionem magis atteritur, tanto spiritus amplius roboratur. Lib. II, c. XII, § 8.

Stude mortificationi vitiorum, quia hoc amplius tibi proderit, quam notitia multarum difficultium quæstionum. Lib. III, c. XLIII, § 1.

Verus profectus hominis est abnegatio sui ipsius, et homo abnegatus valde liber est, et securus. Lib. III, c. XXX, § 3.

Qui te per contemptum mundanorum, et carnis mortificationem sequuntur, vere sapientes esse cognoscuntur; quia de vanitate ad veritatem, de carne ad spiritum transferuntur. Lib. III, c. XXXIV, § 2.

DIGNITAS. — Si temetipsum perfecte vicaris, cætera facilius subjugabis. Perfecta victoria est de semetipso triumphare. Qui enim semetipsum subiectum tenet, ut sensualitas rationi, et ratio in cunctis obediat mihi, hic vere victor est sui, et dominus mundi. Lib. III, c. LIII, § 2.

JUCUNDITAS. — Oportet te ergo viriliter

omnia pertransire, et potenti manu uti adversus objecta; nam vincenti datur manna, et torquenti relinquitur miseria. Lib. III, c. XXXV.

Resistendo passionibus invenitur pax vera cordis; non autem eis serviendo. Lib. I, c. III, § 3.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

QUALITAS. — S. David, cum valde desiderasset aquam de cisterna Bethleem, postquam ea allata est, noluit bibere, sed Domino eam libavit. I PARAL. XI, 17 et 18.

S. Macarius Alexandrinus mortificandi sui causa toto septennio nihil, præter crudam olera, vel legumina humectata sumpsit; totis viginti diebus ac noctibus lectum non ingressus est, ut somnum vinceret, cum interdiu quidem astu arderet, noctu vero algere rigeret. Ad humiliandum se solitus est duorum modiorum sportam arena plenam humeris impositam per totam solitudinem portare. PALLADIUS, in *Hist. Lusi.*, c. XX.

S. Polichronius mortificabat se aspero cilicio, vilique et nullis pretii vestitu, tanquam inopem ducebat vitam, ut nec necessariam quidem semper haberet nutrimentam, ac noctem totam vigil in precibus stans consumeret. Ad augendam mortificationem habebat in cella truncum ingentem e quercu (quem Theodoretus vitæ scriptor fatetur, se duabus manibus vix potuisse tollere) eumque noctu diuque humeris imponebat, et sic in oratione persistebat. THEODOR., in *hist. Relig.*, c. XXIV.

Sanctus Edmundus Canduariensis Episcopus non tantum zona, sed etiam caligis utebatur cilicinis: solo pane vilique cibo contentus, nec pisces, nec carnes comedebat: sitim eo usque tolerabat, ut labra dirumperentur: ad quietem nocturnam capiendam, nec lodicibus, nec stragulo, nec pulvino utebatur, sed propriis tantum vestibus tectus considerat, idque per triginta annos etiam ad Archiepiscopi dignitatem evectus continuabat. SURIUS, in *Nov.*

S. Antonius cum in adolescentia maximas penitentias fecisset, multisque annis incredibiles pugnas cum demonibus sustinisset, quando ad extremam senectam, in qua aliquot quieti dandum videbatur, pervenit,

renovare cœpit omnia pristina penitentiae exercitia ad dandum bonum exemplum aliis quibuscum tunc versabatur. Idemque S. Franciscus Seraphicus faciebat. S. ATH., in *ejus Vit.*

S. Domna ubi ad fidem Catholicam electione Epistolarum S. Pauli conversa est tanto mortificandi sui spiritu accensa fuit, ut omnibus vestibus pretiosis, et thesauris in pauperes erogatis, solido arido pane deinceps vitam sustentaret, semel in die comedere, storea lecti loco usa fuerit, omnesque opes in una cruce constitueret. SURIUS, in *beo.*

S. Bernardus de seipso fassus: Omnia, quæ mundus amat, crux mihi sunt, delectatio carnis, honores, divitiæ, vanæ hominum laudes; quæ vero mundus reputat crucem, illis affixus sum, illis adhæreo, illa toto amplector affectu. § 7, de *Quadr.*

S. Dorotheus cum corpus suum gravissimis penitentis affligeret, rogatus, quorum illud pene occideret? respondit: Quia et ipsum occidit me. *Hist. Eccl.*, p. II, l. VI, § 1.

Monachus quidam spiritu superbæ vexatus, accepto canistro, terraque impleto, humeris illud imposuit, et ab uno loco in alium portavit; rogatus, cur id faceret? respondit: Vexo vexantem me. PALLAD.

B. Simeon viginti maximos cimices intra tibiale alebat, nec occidebat, ut in parvis ad majora se exereret. LANGZ., op. II, n. 178.

B. Catharina Bononiensis ut se mortificaret in contemptu sui, et ab omnibus villenderetur, non solum coram confessorio sed etiam publice peccata sua confitebatur et manu sua conscripta relinquebat. Diu in oratione brachiis in formam crucis protensis persistebat. Aliarum religiosarum virtutes omnes imitabatur, et licet plus omnibus se in his exereret, tamen omnium viliissimum se reputabat. Voluntatem suam frangebatur obsequendo summa promptitudine in omnibus, lætabatur injuriis, optabatque asperam et dure se a superiore tractari, et graviora quæque sibi imponi. Experta enim utilitates quæ inde manabant, dicebat, omnem quidem obedientiam in rebus licitis esse bonam et fructuosam, sed optimam saluberrimamque esse, quando aliquid arduum moroso vultu a superiore imperatur. Hoc genere mortificationis tantam voluntatis rectitudinem consecuta est, et tantum amoris divini robur, ut ad obtemperandum di-

vinæ voluntati parata esset, non solum omnes mundi, sed etiam ipsius inferni cruciatus perferre si fieri posset. Atque ut desiderabat, sic etiam a Deo toto pectore efflagitabat, si inde major Deo gloria suaque animæ profectus resultaret, etiam horribiliores penas sustinere, non quoad culpam, quam maxime oderat et horrebat, sed quoad acerbitatem cruciatu. *In vita ejus.*

Ludovica Taurella Vastallæ domina, matrona nobilissima Mediolanensis, ac religiosissima, ut in ejus vita traditur, dicebat sese quibusdam publicis mortificationibus confundere, quod in juventute choreis, jocis et aliis mulieribus vanitatibus fuisset delectata. Mortificationes autem tales fuerunt: in veste villissima, capillo in formam crucis attonso, per urbem incedere ad puerorum plebisque Indirium, ad Gubernatoris aulam accedere habitu eodem, ut alicui esset irrisui; ferrea catena collo injecta, solutis crinibus, prelati manu cineribus psalium quinquagesimum pronunciantem ab ædibus ad ecclesiam trahi, neutem aut aliquid simile abjectæ operæ molientem, excipere domi summos dignitate viros, ad se invendunt salutandamque adventantes. PAUL. MERIC., in *vita Lud. Taurellæ.*

Radigundis Regis in Gallia uxor, tulit sub regali vestium cultu, vile et asperum cilicium, documento haud obscure, mente et iis, quæ non cernuntur oculis, rectius pietatem cœli, quam vitis et tunica. SABELL., l. II.

Thomas Cantuariensis Archiepiscopus tunicam et femoralia poplitum tenuis cilicina sub vestimentis gestavit: quippe indignum se qui Ecclesiæ præesset, arbitratus est, nisi et membris suis pressis posset, membra igitur legminis asperitate contrita sibi subjicere studuit, ne quando ipse illis subjectus appetitum illorum sequi cogeretur, non suum. MARRUL., lib. III.

NECESSITAS. — Cum Monachus quidam graviter in re quapiam, cujus nullam culpam habebat, reprehensus fuisset, et sanctus Climacus ejus patrocinium suscepisset, respondit ejus Superior: Non me latet, illum esse culpæ expertem, sed facti mei scopus fuit, illi hac increpatione, et mortificatione præbere merendi materiam. Sicut enim crudeliter agit parens, qui panem infantis ori subtrahit; sic Prelatus, qui subditis suis, quando capaces sunt, reprehensionibus et aliis mortificationis generibus

subtrahit promerendi materiam. S. CLM., cap. IV.

Justinus Ungariæ favoribus spreus, institutum Minorum amplexus fuisse, et in eo usque adeo in contemplationis dono proficisceretur, ut frequentes extases pateretur, et semel prædentibus illis ad imaginem B. Virginis supra Fratrum capita in muro depictæ elevatus coram ea flecti videretur; et ob factum Eugenius IV, cum casset, et pedes osculari volentem ulnis, et osculo exceperet, et sibi assidere jussu post longum sermonem munuscula, et indulgentias copiosas dedisset, adeo tanto favore elatus est, ut quotidie insolentior factus, demum ob Fratrem quemdam cultro vulneratum carceri fuerit mancipatus. In quo cum poenitentiam explesset, profugiens in regnum Neapolitanum ea perpetravit crimina, ob quæ in urbem relegatus in vinculis misere decessit. LUC. WADINGS, l. III. *Ann. Ordin. M.*, ad ann. 1445, n. 13.

UTILITAS. — Cum quidam ex antiquis Patribus nullum corporis affligendi modum teneret, ideoque ab aliis de rigore temperandum moneretur, respondit ille: Mihi credite, filii, si et locus, et status, conditioque Beatorum in coelis dolorem aliquem admittent, displicentiæ alicujus capax esset, profecto hoc unum maxime doleret, quod plures, et graviore affligendi se mortificandique occasiones non quævisissent.

Senex quidam cum ad molestiam vitandam in aqua portanda, cellam fonti propiore extruxerit decrevisset, ubi Angelum se sequentem, et gressus, ut pro eis mercedem a Deo clienti suo peteret, numerantem audivit, eandem remotiorem facere decrevit.

Cum juvenis quidam prisci ejusdem Patris discipulus, sene suo obdormiscente septies ad somnum pariter capiendum incitatus, septies vicisset, et persistisset, senex in extasim raptus vidit thronum pulcherrimum pro discipulo paratum, et septem coronas pensiles, multoque auro interlineatas supra thronum pendere. *In Vitis PP.* p. III, f. 237.

DIGNITAS. — Juvenem Monachum apud senem solitarii prædicabant aliqui, quasi jam longius in virtutum stadio provectum, id experiri, et reipsa probare voluit senex: et assumptis comitibus juvenis cellulam adit, hortum intrat, et bene cultum aspiciit, ac olera hinc inde adulta; suspicatus ille,

heriles esse delicias, baculo, quo innitebatur, quasi ludibundus ea demetit, et prosternit, unum dumtaxat intactum relinquens; inde ut moris est, simul Psalmos recitant; quibus finitis, juvenis Monachus vultu modesto, et hilari senem rogat, velite olus, quod restabat, in collatiunculam apparari. Ad quam petitionem attonito similis insilit in ejus collum senex, dixitque: Video, filii mi, te, ut audieram, vere mortuum appetitionibus tuis, quandoquidem ad tantam a me factam in hortulo labem, atque vastitatem, tam parum commoveris. PENEQ., in *Isag.*, p. II, c. IV, n. 7.

Perlustrabat suæ Diocesis Monasteria sanctus Basilius, et in eorum aliquo Abbatem rogavit, an ex suis quemquam e prædestinatorum numero præ cæteris esse censeret. Ad talem questionem parum hæsitans Abbas, accersitum unum e simplicioribus Basilio sistit. Ad quem continuo vir sanctus: Adfer mihi aquam in pelvi, ut pedes lavem; currit ille, aquam defert; sedere illum jubet Basilius, et ipsemet ad pedes Monachi inclinatus ejus pedes non se movens, nec reluctans abluvit: mandat, deinde, ut die sequenti cum sacristiam ingrederetur, compareret, monereturque, ut sacerdotio initiaretur. Facit ille admissum omnia: atque hinc Basilius illum proprio judicio voluntati mortuum dijudicans, vera habere argumenta judicavit, quibus inter prædestinatos censeret merito posset, eumque sibi deinceps in suis functionibus comitem adlegit. *Ibid.*, n. 8.

Narrat Casarius, fuisse in suo monasterio Ordinis Cisterciensis insignem quemdam Dei servum Rodolphum nomine, Monachum laicum divinis revelationibus illustrem: qui quadam nocte secundum matutinum orationis extrahendæ gratia in Ecclesia remanens, viderit Christum Dominum, gloriosum quidem illum, fixum tamen in cruce, cum quindecim aliis suæ familiæ religiosis sua itidem unumquemque cruce tam splendida fulgentem, ut fulgor ex crucibus egrediens, ipsas etiam cæcæ noctis tenebras facile dissiparet; hos omnes Rodolphus probe cognoverat; in vivis quippe adhuc erant singuli, ex illis quini laici, sacerdotes reliqui deni. Stupore defixus frater, ex tam insolita visione, audit Christum e cruce hac voce se alloquentem: Nosti hos, Rodulphus, cruci mecum affixos? Novi equidem, ait, at rei novitatem, hoc est, visum tam admi-

randum non novi. Audi ergo, et intellige, quæ loquor, subjungit Christus: Hi soli ex tota familiæ hujus religione sunt isti, qui confixi mecum in cruce, vitam suam omnem conversationemque sacræ meæ passioni mortique ignominiosissimam, pro ipsis obite, commiserant.

FACILITAS. — Cum aliquando in templo caneretur: *Qui vult venire post me*, vidit S. Gertrudis Christum via quidem florida, et vernante incedentem, sed tamen spinis obsita, et horrescente: crucem vero præcedere, spinas hinc inde amoventem, et dissipantem, quibus significatum volebat Christus, asperam quidem esse virtutis viam, sed crucis, et passionis suæ meritis mirum in modum asperitatem mitigari, et se continuo adesse, ubi suæ voluntatis auspiciat, homo sacrificium, gratia cooperante, inchoavit. PENEQ., p. II, c. VII, n. 5.

Abbatem Theodosium cum vitam solitariam esset auspicatus, ductum in Theatrum ingentis magnitudinis, monuit Angelus, pugnandum esse cum Æthiopo tam vastæ molis, ut capite nubes tangere videretur. Ad hæc verba exhorruit Theodosius, sed institit Angelus, addiditque: Ingredere eum omni alacritate, et fiducia; mox enim ut tu illum dorsum fueris, ego adjutor adero, tibi que victoriam reponam; atque ita factum: ubi enim luctari invicem cœpere, continuo Angelus adfuit et coronam capiti ejus imposuit. Aliud luculentius subministrat exemplum, ad Macarium scribens: S. Paulinus, qui senem, oborta tempestate, cæteris per lembum delapsis, solum in navi relictum mirabiliter a Christo adjutum memorat, ita tamen, ut primum conatum semper ab illo Christo exigeret. Jubetur a Christo malum excidere, quem eo tempore excidi pro navis remedio oportebat; id multi homines, iique validissimi, sine suo et navis periculo facere non potuissent, ille tamen verbo Dei nixus, ad id se accingit, et ecce malus leviter bis senili manu tactus magis, quam securi ictus, in mare sine periculo prosilit: ita ad alia omnia nautica munia, tantum specie agendi, manum porrigere jubebatur ad singula: cætera Christi virtus, et potentia supplebat, atque hoc modo portum, quem petebat, feliciter attigit. *Ibid.*, n. 4.

JUCUNDITAS. — S. Antonius quondam rogatus, quomodo totas noctes orando transigere posset? respondit: Scias, mi Frater,

tandiu me latuisse, in quo vera contemplatio sita sit, quamdiu ullam me ipsius habui rationem; ubi vero inquietis motibus mentem purgavi, et ab omni terrena concretionem segregatum cor ad superiora transtuli, mox degustare cepi mirificum illum divinæ voluntatis fructum, qui celestium rerum contemplatione a purgatis animis percipi solet. *Vit. P. GONZAL. Styl.*, t. XXX, c. V.

S. Dorotheus cum mox ab initio sui in Religionem ingressus, totus in abnegationem voluntatis, aliarumque affectionum inordinatarum incubisset; ideoque ob summam, quam exinde percipiebat, animi tranquillitatem, dubitans, num recta via incederet, a Patre spirituali consilium peteret, respondit, sine metu eum esse posse; tranquillitatem quippe illam ex mortificandi studio natam, ejusdem mortificationis præclarum esse fructum. *ARRIAS, de Mort.*, c. XV.

PENE NEGLICTE MORTIFICATIONIS. — Refert S. Augustinus, virum quemdam Catholicum, a certis quibusdam muscis gravissime aliquando molestatum, invisisse hominem quemdam hæresi Manichæorum infectum, eique importunitatem animalculorum horum exposuisse: ratus hæreticus, non incommodat sibi oblatam ex hoc occasione defendendi erroris sui (erat is, duo esse rerum principia: invisibile unum, et hoc esse Deum; visibile alterum, quod Manichæi dæmonem constitebant: cui errori opposuit Ecclesia Catholica in symbolo illas voces: Visibile omnium et invisibile; quibus verbis confitemur, creasse Deum omnia, non spiritualia solum, et invisibilia, sed corporalia etiam et visibilia) ratus in quam, ille, nactum sese erroris sui confirmandi occasionem, eumque orthodoxo instillandi, dixit illi: Quis creavit has muscas? et quoniam hæc summam illi afferentes molestiam, ob idque viderentur male, non ausus est asserere, ipsas creatas fuisse a Deo: unde stringendo illum magis Manichæus, intulit: Si ergo a Deo non sunt, unde sunt? ad quod hic: Credo, quod dæmon illas creavit. Insistit illi: Si ergo dæmon muscas fecit, ut affirmas, quis igitur apes fecerit, muscis non multo grandiores? In has ille conjectus pedicas, nec, quod satis apte responderet inveniens, eo tandem amantia deductus est, ut confiteretur, et muscarum, et apum conditorem esse diabolum. Convictus in his Catholicus ad peri-

culosiore scopulum allisus est, deducendo eum Manichæo ab apibus ad locustas, ab his ad lacertas, inde ad aves, ab his ad ovem, ab ove ad bovem, mox ad elephantem, et ad extremum ad hominem: et persuasit homini, quod non a Deo factus est homo. Ecce tibi in quod infelicitatis pelagus prolapsus sit miser iste, ex eo solo capite, quod in perferendis pauculis muscarum morsibus defecerit. Subjungit igitur Augustinus: Claudite, fratres, aures cordis vestri adversus dolos inimici, ne molestati a muscis, in par miseriarum bathrum, cum stolidissimo isto Catholico, agamini præcipites: solent enim (pergit S. Doctor) aucupes ponere in muscipulam muscas, ut esurientes aves decipiant: fecit idipsum hic dæmon, qui huic everteundo laqueum tetendit, muscasque ad illecebram opposuit. Et sane hic veteraris infernalis genius est, irretire hominem in minoribus, ut facilius postea ipsum in majoribus transversum agat.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius per continuam mortificationem eo devenit, ut vel carere perturbatioibus videretur, vel sicubi usus posceret, iis uteretur tanquam modestis famulis non audientibus se ante rationis præscriptum Domini commovere. *Hist. soc.*, p. II, l. XVI, n. 107. Idem licet natura biliosus esset, ita tamen animi motus moderabatur, ut ob summam lenitatem medicis frigidus lentusque videretur. Cum quidam ex nostris Religiosum quemdam virum laudaret, et diceret, eum esse virum multæ orationis, Ignatius voce mutata dixit: Vir est multæ mortificationis. Profectum suorum spirituum non ex facilitate naturæ, aut vultu, sed ex contentione et victoria metiebatur. Unde fratrem quemdam vehementis naturæ alloquens, vince, aiebat, vince te; si enim te viceris, splendidiorem quam alii, qui mitiori sunt ingenio, habebis in celo coronam. Et cum hunc ipsum adolescentem Minister Romani Collegii quasi minus tractabilem graviter accusaret, S. Pater eidem dixit: Mitius, quæso, et blandius. Equidem istum ego in via Dei plus profecisse paucis mensibus puto, quam duos illos (nominabat autem morum lenitate, et suavitate maxime amabiles) integro anno. *Rubad.*, l. V, c. III.

Parisiis adhuc degens cum pestiferum quemdam invisisset, et ex ejusdem contracta manu imaginationem pestis afflata concepisset, nec ejiere posset, tandem sumpto animo, digitos ori insertos diu in eo versans dixit: Si habes pestem in manu, habeas et in ore: quo facto omnis imaginatio evanuit. *POLANUS*, in *Vita M. S.*

S. Franciscus Xaverius ut seipsum, et nauseam, quam ex aegri ulcerosi servitio sentiebat, vinceret, sanie ex illius ulceribus exsuxit. *Vit.*, l. I, c. v. Illius sociis identidem ingerebat illud S. Patris Ignatii familiare monitum: *Vince teipsum*, causamque rogatus tam frequentis repetitionis, respondit: Quia hoc a S. Patre meo Ignatio didici. *LYRÆUS*, in *Apotheg.*, l. II, f. 193. Ad socios quondam in hæc verba scripsit: Quam beatum est vivere quotidie moriendo, nostrasque frangendo voluntates, ut queramus, non quæ nostra sunt, sed quæ Jesu Christi. Quæ enim crux acerbior esse potest, quam sine Christo, ubi semel eum gustaveris, vivere, eumque non deserere, ut tuas cupiditates sequaris? *Lib. I*, ep. 1.

S. Franciscus Borgia cum adhuc secularis miram et falconum aucupio voluptatem eaperet, ut se mortificaret, ipso, quo falco herodium insectabatur, et occidere parabat, tempore, oculos claudabat. Postea Religiosus factus dicere solebat unum illum diem sine ulla dubitatione amarissimum futurum, quem sine aliqua carnis afflictatione meminisset exactum. Consueverat impense rogare Deum, ut eum singulari hæc gratia dignaretur, et vitæ hujus commoditates omnes in supplicium ipsi verterentur. In vigiliis erat perpetuus, noctesque non paucas insomnes duxit. Qui illi mortificationis enjuspian auctores existissent, suos adjuutores, et amicos vocabat. Scrupulos calceis ad dilacerandos pedes inserebat. In gravissimo solis ardore lente incedebat. Pharmaca quoque licet amarissima tarde sorbillabat, pilulasque in ore dentibus comminutas diu in ore versabat. *Lib. I*, c. v.

P. Petrus Faber studebat ipse diligenter ei, quam tantopere Sanctorum commendabat usus, animi permolesta compunctioni, et iter ad eam dicebat esse voluntariam corporis afflictationem. Multos enim sæpe angit, quod nunquam animo compungantur, aut tamen compungi raro corpore velint: et multos expetere tormenta animæ suæ, qui nunquam velint torquere carnem suam.

Vita, l. II, c. XI. Cum sua ægrotis præberet obsequia, ad vincendum, inter eorum pedores atque contagia, naturæ repugnantis horrorem, animadvertit nihil tam valere, quam inductionem quamdam animi, ultima quæque perpeti cupientis, et in eo ipso munere, si usus esset, se offerentis ad mortem. *ib.*, c. xxxv.

J. Jacobus Laynes corpus spiritui, rectæque rationi ita subjecerat, domitasque animi perturbationes habebat, ut pene de ipso dici potuerit, quod de S. Bonaventura Alexander Alensis dixisse fertur, scilicet eum in Adam minime peccasse. *Vita*, l. III, c. XVI.

P. Thomas Sanchez, quotiescumque cubiculo exibat, petiit a Deo ut aliquam sibi mortificationem mitteret; quoties vero a superioribus aliquid petiit, rogavit Deum, ut illi contrarium facerent. Inter comedendum sæpe pedem in altum elevabat: salem, piper, acorem, et cætera ciborum condimenta omnino respuebat: nec ipsa quidem elixa olera, satis ex se insipida, oleo aut aceto condebant.

P. Franciscus Villanova ita curiositatem domuerat, ut diceret, si nuntiaretur sibi, Angelum e celo lapsum in via ante ædes Collegii concionari, se minime ad audiendum accessurum, si studio duci se non pio adverteret. Coquo adjutor datus cum gravissime ob id tentaretur, ante Christi Crucifixi imaginem vovit se, quandiu vixerit, si per moderatos liceat, eo in opere permanisurum; qua similibusque victoriis ita profecit, ut diceret, nihil sibi objectum in actione virtutis, a quo sensus abhorreret, quod Deo juvante non subisset. *Hist. Soc.*, p. II, l. I, p. 131.

P. Leonardus Lessius adeo rerum magnarum aviditatem in se extinxerat, ut diceret, universi mundi desiderium e corde suo esse ablatum; hinc cum Romæ aut alibi subinde occasionem haberet multas res curiosas videndi, constanter eas negligebat. Mentis animositatem, quam bilis commota sæpe in iram excitabat, adeo compressit, ut columbina eum modestia sine felle diceret. Aiebat carnem blande vulpeculari, proinde dolos ejus sedula indagatione retendendos, petulantiamque constanti fræno compescendam, id quod ipse assiduis faciebat; hinc quotidiana flagella, complura jejunia, et cilicia usurpabat, adulta hyeme ignem vitabat, obolata solatia morborum respuebat, aut si

assumere necessarium foret, dulcedinem prius pia cogitatione aut alia simili ratione temperabat. Rogatus, cur adeo in se servus esset? Respondit: Ego quod, dum mortificationes fugimus, ultro nos ipsæ divina dispositione insequantur. *Vita*, c. XII.

P. Bonaventura Barradinas Rector Landspurgensis, numquam, quandiu in Societate vixit, scilicet viginii novem annis, quidquam sui commodi causa a Superioribus petiit; quam mortificationem, suam virginitatem appellabat. *Annal. Landisp.*, 1395.

P. Joannes Paulus Navarola ex jugi divini præsentia memoria eo devenerat, ut nemo in eo unquam commoti animi signum adverteret. *An. Rom.*, 1397.

P. Petrus de Anasco crebro e fetidissimis Indorum ulceribus pus, et vermes radebat, ulcera sanie scatentia osculabatur, et non semel patellam pure plenam, sui vincendi causa, exhauriebat. *An. Peret.*, 1607, in *Miss. Tuc.*

P. Joannes de la Placa Hispanus suos non alio modo, quam mortificatione, et penitentia ad orationem ducebat, aversans illos qui soli Dei familiaritati inhiabant, non studentes interim animi corporisque mortificationi. Roganti cuidam e nostris adolescenti summæ spæ, sed fervido, qui fieret, quod non proficeret? quia, respondit, vivido ingenio cum sis, parum tibi imperas; illud proin apud te statue, ideo tam paucos esse viros spirituales, quia pauci suis moriuntur cupiditatibus, dicente Deo: Non videbit me homo, et vivet. *An. Mex.*, 1602.

Quidam magnus Pater dicere solebat, omnes de Societate sibi persuadere debere, omnia nostra munera esse intra montem Oliveti, et Calvarie sita.

S. Bernardinus Realinus culices fronti vel faciei insidentes non abigebat, quod idem etiam Alphonsus Rodriguez faciebat, uti de utroque testatur Lancizus, addens, novisse se homines in Societate, quibus post non impeditos per plures hebdomades morus culicum, admiranda virtutum heroicarum munera concesserit Deus, per multos annos frustra expetita. *Lanciz.*, Ep. II, n. 69.

P. Joannes Trexus ne a mortificatione cessaret, totam buccam, linguam, et palatum abluibat felle, tanquam rosacea aqua, ipsunquæ masticabat, ut interdiu amaror

ille perduraret. NIEREMB., l. III, *Doctr. ascet.*, c. XXVIII, *Doctr.*, III.

Joannes Berchmannus sic se ipsum compe-llabat: Vis videre, an ames vocationem tuam? vide, an ames mortificationem tuam. Vocatio tua est, esse Socium Jesu. Quo-modo autem vis esse Socius Jesu, nisi sis crucifixus cum Jesu? Ejus axioma erat: Tantum proficies, quantum tibi vim intule-ris. *Vita*, p. IV, p. 250.

Alphonsus Rodriguez dicere solitus erat, duos esse pedes, quibus ad perfectionem fiat progressus, mortificationem scilicet, et amorem Dei, illam sinistrum, hunc dex-trum esse. LANCIZ., *Ep.* II, n. 6.

Joannes Ximenes fassus est, Deum sibi, quotiescumque mortificationem intermitte-ret, statim deesse, et solitam portionem de-trahere. *Vita P. Alv.*, c. XLIV.

Bartholomæus Alvarus Coadjutor, quæ agrotus post S. Eucharistiam acceptam evome-rat, nixis genibus exhaustis. *Annal.*, *Lusi Dom. prof. Olysse*, 1614.

Tarracone quidam Novitius vas plenum puris cum feret, summeque nausearet, vin-cendi sui studio totum epotavit. *An. Arra.*, 1597.

EXEMPLA PROFANA.

Socrates immotus celo immitis, ab uno solis ortu ad alterum, eodem in loco persis-tebat; vestitu utebatur vili, lacero et perva-sto; injurias et contumelias uxoris, quæ lotio illum etiam perfundebat, æquissimo ferebat animo. PLAUT., in *Phædone*.

Plato tam sobrie vivebat, ut sæpe semel tantum de die cibum sumeret; patrimonium suum fratribus reliquebat; honores in re-pubblica nunquam ambiebat, injurias a Dio-nysio Syracensano illatas placidissime fere-bat. DIOG. LAERTIUS, in *Vita*.

Diogenes herbas, et crudis carnibus vescer-batur, veste abjecta utebatur, dolio pro domo utebatur, hyeme nudis pedibus nives calca-bat, et statuas nive coopertas amplectebatur, pluvio celo imbres maximos excipiebat. LAERT., in *Vita*.

Cato major, dictus Censorius, nunquam pro cœna cibos coctos inferri patiebatur, ves-titu utebatur vulgari, nam sua prædia cole-bat: ut apparitore contentus, licet Prætor, in publicum pedes processit, cum alii non

nisi rbeda vecti, et cum magno comitatu exiissent. PLUTARCH., in *Vita*.

Cato minor, Uticensis dictus, nunquam purpura, uti alii Magistratus, utebatur; sæpe domo sine calecis exibat, nonnumquam etiam sine tunica: quando aliquo profici-scebatur, socio æquitante pedes incede-bat, cælo perfrigido, nudo capite prodibat. *Ibid.*

Theodosius Arcadii filius per Bithyniam, fervente celo iter faciens, cum miles phia-lam frigida plenam obtulisset, eundem re-muneratus, vas reddidit, sitimque cum sociis tolerare maluit. SOZOMEN.

Alexander Magnus per loca arida exerci-tum ducens oblatam aquam ante pedes effu-dit. CURTIUS, l. VII.

Solimannus Turcarum Imperator, cum ex monte Salahia urbem Damascenam situ loci, palatiorum amenitate, et omni delicia-rum genere abundantem conspexisset: salve, inquit, terrestri Paradise, alteque inge-miscens subjungebat: Cum mihi pulchra hæc civitas celesti munere donata sit, non ingrediar eam, veritus, ne cor animique mihi surripiat, quo cœli celestiumque obli-viscar; quibus dictis recessit, et nunquam eam vidit.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut periti equitis est fræ-num inhibere, quando equus ad ima tendit: si vero in altum, laxare; ita et nos, cum ad virtutum culmina ascendimus, potentius nostris, quam maxime possumus, fræna laxare, tendendo autem ad ima, id est, mundi voluptates, maximo conatu inhibere debe-mus, nisi in abyssum stultitiæ, et erroris gravissimi præceptis agi velimus. JUL. FATI, de *Mortif.*, § 2.

Sicut miles domi latitans facile infrmita-tem suam dissimulat, non autem perinde, si manus cum hoste conserenda sint; ita Reli-giosus intra cellæ angustias latitans, facile defectus suos occultat; cum vero cum mundo, et proximo agendum est, excellen-tis sit virtutis mortificationisque necesse est. RODRIQ., p. II, tr. I, c. v.

Sicut infirmus licet brachium suum pro-pter bonum totius corporis ustulari permittat non tamen odisse illud, sed amare censetur, ita et nemo animam suam odisse dicendus

est, licet ferro mortificationis eam propter bonum totius hominis aduri permittat. *Ibid.*, c. VIII.

Sicut crucifixus quis jam non pro animi sui motu membra sua quoquam movendi habet potestatem; ita et nos voluntates nos-tras ac desideria non secundum id, quod nobis suave est, ac delectat in præsens, sed secundum legem Domini, quo nos illa con-strinxerit, applicare debemus. CASS., l. IV, *Inst.*, c. XXXIV.

Sicut per ciborum abundantiam lascivienti equus noster aurigam quandoque excutit, quacumque vult, pessime præceptum fert; ita et per nimiam abstinentiam propositum virtutis impedit iter. S. BASIL., de *Virgin.*, col. VII.

Sicut in organo vel cithara folles vel chordæ præ nimia laxitate non sonant, vel nimia intensione vel inflatione rumpuntur; ita et vires nostræ temperiem si non habeant nimio rigore, et conniventia franguntur. S. GREGOR.

Sicut herbæ noxiæ in plena sunt hortu-lani potestate, ut illas recidat, evellat, vel pro suo arbitrio eradicet; ita quoque nos pro mortificationem plenum in passiones nostras habere debemus dominium, ut illas eradicemus, corrigamus, et moderemur, prout necessum esse judicaverimus. MANSI, tr. 51, *disc.* I, n. 6.

NECESSITAS. — Sicut id, quod seminaverimus, non vivificatur, nisi moriatur prius; sic qui mundo et concupiscentiis ejus non moritur, in fructu honorum operum non multiplicatur; superest ergo, ut mortificemus membra nostra, quæ sunt super ter-ram, quatenus vivificet nos auctor vitæ. S. GREG., in *ps.* cxlii.

Sicut prudens vinitor viti nequaquam per-mittit, ut pro sua libidine multum dilatorum et germinet; hæc enim ratione aliud nihil produceret, præterquam sarmenta, et pal-mites, in quos omnis humor magis subs-tantiosus inutiliter diffunderetur in præju-dicium vitium fertiliorem. Eodem modo in præsentem discurrere licet; si enim permitte-remus, ut totus cordis amor divideretur in appetitus, affectus, et passiones inordinatas, quæ nobis prædominantur, nihil profecto pro Deo reliquum esset, qui tamen totum amorem nostrum sibi vendicat. Mortificatio igitur est ferrum quod hæc superflua, et infructuosa sarmenta rescindit; ac proinde hoc ferro utendum est, ut voluntas afflicta-

tur virtutibus, omnesque portiones inferio-ris motus, et appetitus superiori animæ por-tioni subjecti maneant. MANSI, d. v, n. 4.

Sicut in aqua turbida impossibile est ho-minem vel suam interi faciem, vel aliud quidvis; ita et impossibile est, cor hominis a terrenis affectum facibus non secretum ac purificatum, Dei faciem vel videre, vel videri ab ipsa; soli quippe Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt. RODRIQ., p. II, tr. I.

Sicut non satis est, ferrum virtute ignis mollescere, nisi et malleorum ictibus, de-bita ei forma figuraque imprimatur; ita nec satis est, ut cor nostrum orationis beneficio resolutum veluti liquescat, nisi porro, et mortificationis malleo exerceatur, contun-daturque, ut exclusis ab anima vitiosis car-nis cupiditatibus, omnium ei virtutum forma insculpatur. Et ad hunc effectum, orationis dulcedinem, suavitateque deservire par-ert, ut videlicet ea, quodam quasi saccharo, labor, difficultas, atque mortificationis hor-ror condiantur, atque mitigetur. Ea propter ab oratione nunquam est discedendum, donec gratia Servatoris nostri Jesu, perfecta mortificationis passionum nostrarum apicem feliciter contingamus, cujus equidem tanta nobis incumbit necessitas, quanto studio affectuque eam nobis, cum a Scripturis, tum a Patribus videbimus ubique commendari. *Ibid.*, l. c.

Sicut panis confici non potest, nisi prius granum a palea excutias, et separet; ita nec animus ad celestes aptari delicias, nisi ab-ducatur a corpore. PENNEQ., p. II, c. VIII, n. 12.

Sicut, cum aqua ignis sit contraria, diffi-culter ligna vel candela ignem suscipiunt, quæ habent aquam: aqua enim resistit: ita ubi malitia primo mentem hominis occupa-vit, non est verisimile Deum adeo libenter ponere balsamum gratiæ in vase sordido, et immundo, etsi illud a sordibus emundaveris ac deteriseris, ac poneret in eo vase, in quo immunditia nunquam fuit; ita sane oportet vel præcedat, impediaturque sordes mor-tificatio, vel succedat, si irruerint, easque diluat, et abstergat, priusquam amoris di-vini balsamum in animum infundatur. S. THOM., *opusc. de Erud.*

Sicut avis novis plumis contegi non potest, nisi veteribus exutis; ita nemo veris virtu-tum plumis vestiri potest, nisi prius veteres inordinatorum suorum affectuum, et passio-